

tunc aperte cognoscet, cum insigni adeo pudore et confusione tua. » Quanto pretio et labore redimeret vir honestus suam confusionem, qui ob maleficium aliquod promulgatur reus et publica ignominia afficitur in civitate vel coram paucis praesentibus? Et quam durum erit confundi ab ipsomet Deo? Sane Palatinus Podoliae, cum semel turpi fuga hosti terga dedisset, et propterea a Boleslao III. Poloniae rege, domino suo pellem leporis, colum et fusum pro dono in confusionem accepisset, adeo pudore occupatus fuit, ut suspendio vitam finierit, Cromer. l. VI. Voluit eo munere rex effeminatum animum Palatino exprobrare, quo nihil videbatur mordacius. At qui praepudore peccatum aliquod reticent in confessione, nonne effeminati sunt, qui a vilissima honoris sui aestimatiene superantur, ut incurrant non momentaneum, sed aeternum dedecus, non coram unico homine, sed coram toto mundo?

Secundo, sicut Hebraei capto regno Basan, hoc ipso habuerunt transitum Jordanis liberum et apertum, utpote adjacentis in terram sibi promissam, lacte et melle manantem: sic qui pudorem illum superat, hoc ipso aditum sibi ad gratiam et animae sanitatem, laetitiam cordis et ad vitam beatam patefacit. Quis erubescit januam ingredi paradisi? Atqui *confessio est porta, per quam intrant animae ad paradisum*, ait Alb. M. ser. in die Cinerum. Nonne videmus, quomodo miseri mendici ulcera sua detegunt, et transeuntibus ostendunt, ut ad misericordiam eos flectant, et vulnerum clamore obtineant sustentationem in vitae suae, licet miserae et brevis, quam lingua non possunt, *qui prudentes sunt*, ait S. Bernardus, serm. de verb. Abac. super custodiam, etc. *non operiunt vulnera sua, sed detegunt et confitentur Domino peccata sua*. Pauperes illi exiguam stipem accipiunt, saepe etiam spe sua frustrantur: at qui peccata sua aperiunt confessario, maximam semper recipiunt stipem, vitam animae, gratiam: abeuntque sanati. Rursum nonne aegroti ut vitam servant, aperiunt medico fidenter causas morborum suorum, v. g. nimias ingurgitationes, computationes, repletiones, similesque excessus? Et tamen ibi adhuc amarae potiones sumendae, medico et pharmacopola satisfaciendum, tametsi curatio prorsus certa non est. Quod si medicus aegro sanitatem polliceretur, dummodo causam morbi sui ipsimet explicaret, nec aliud superesset faciendum: nonne stultus foret, qui parere nollet?

E contra plurimum nocet vinci illo pudore. S. Antoninus in summa tit. IX. c. IX. §. III. refert nobilem mulierem famae optimae, cum incidisset in fornicationem, intrasse poenitentiae causa in monasterium, et ibidem addixisse se

operibus abstinentiae, vigiliarum, orationum, etc. nunquam tamen peccatum illud confiteri ausam praereverecundia. Facta porro abbatissa est ob virtutum specimina: Verum post mortem apparuit uni sorori ex monialibus sibi familiari, tota turpis et tristis dicens se damnatam. Cui soror: « Quis ergo poterit salvus fieri, si tu non salvata es, tanti exempli monialis? Cui illa: Una de causa perii, quia peccatum carnis in speculo commissum, confiteri erubui. » Cogitate hic, quanta confusione et quot sibilis excepta sit haec stulta monialis in inferno? O stultissimam feminam, credo, aiebat, quae vitato momentaneo et levi pudore coram uno homine incidit in aeternum probrum coram omnibus nobis! Timuit haec pruina, et incidit in nivem. Nos delicias quaesivimus, thesauros conquistivimus, dignitates nobis comparavimus, honores publicos quaesivimus. Haec aliquid sunt in mundo. At tu, monialis, abbatissa, levissimo pudore confitendi tam exiguo has gehennae miseriae elegisti? Quis unquam tam stultus fuit?

Nos ergo ne in ta lem confusionem incidamus aliquando, confusi onem istam modicam minime timeamus. In manu nostra est rex Basan, ne timeamus eum, sed fortiter vincamus. Sic tandem patebit nobis liber et securus transitus in terram promissam, in Bethlehem et domum panis, ad s. communionem, denique ad terram viventium, lacte et melle caelesti perpetuo manantem.

#### CONCIO IV.

TURPITUDO PECCATI CONSIDERANDA, ET PER CONTRITIONEM AMOVENDA.

I. Turpitude peccati ex ipsa ejus natura cognoscitur. — II. Ex Dei offensa et contemptu. — III. Ex vilissimi hominis conditione. — IV. Ex incarnatione et passione Dei.

#### THEMA.

*Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* Luc. III.

Mos antiquis fuit, ut adventanti regi vel imperatori subditi detractas sibi vestes sternerent in via, qua iturus erat; ut foeditatem luti ab oculis ejus tollerent, ipsumque quam possent, ornatissime exciperent. Ita fecerunt milites Romani Catoni Uticensi, provincia abeunti, « Sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat, manusque osculantes, quod genus honoris non nisi imperatoribus, idque per paucis eo tempore tribuebatur, » inquit Plutarchus, in vita Catonis. Idem fecerunt Hebraei electo in regem Jehu: *Unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus*. IV. Reg. IX. Denique Jerosolymitani adventanti in urbem

Christo super asello, substraverunt vestes suas; quasi non deceret eum lutosam viam vel contingere, vel aspicere. Matth. XXI. Expectamus auditores summum Regem et imperatorem nostrum Christum, propediem ad nos venturum. Justum igitur est, ut ab ejus conspectu removeamus lutum, quod ejus offendit oculos; nec aliud est, nisi foederum omnium foedissimum peccatum. Et hoc est, quod edicto suo proclamavit Christi praeco, et via parator in hodierno evangelio: *Parate viam Domini*. Quod declarat ex Hebraeo Vatablus et Forerius, dum vertunt: « Repurgate viam Domini, » quasi diceret, iterum iterumque purgate, et a luto expurgate. Causam subdit Joannes, dicens: *(Et h. e. nam) videbit omnis caro salutare Dei*, seu, ut est in Isaia, cap. XL. *revelabitur gloria Domini*, quasi diceret: aequissimum est ut Dei Filium non nisi munda inveniat corda, et omne lutum peccati a Dei gloria quam longissime auferatur. Igitur exuat unusquisque vestem hominis veteris, et substernat Christo Domino, ut sublato luto mundam ei viam et habitaculum paret. Verum videre mihi videor aliquos qui foeditatem luti hujus, peccati scilicet, ne dum perspiciunt, unde fit, ut eo infixi haereant. Quare lutum hoc ponemus super oculos eorum (quo modo Christus egit cum caeco nato, Joan. IX.) et turpitudinem peccati ostendemus.

I. Turpitude peccati ex ipsa ejus natura dignoscitur, quae nihil aliud est, quam privatio rectitudinis debitae inesse actui humano. Quare sicut caecitas, curvitas, gibbus, et similes corporis defectus hominem deturpant: ita peccatum actiones humanas. S. Chrysost. hom. XXVIII. ad Cor. ait: « Nihil virtute purius, nihil malitia impurius. Nam illa quidem sole fulgidior, haec vero luto foetidior. Idque testantur etiam hi, qui in luto volutantur, et qui in tenebris versantur, quando scilicet quis illos vel parum respicere fecerit. Etenim quamdiu suo more egerint, affectionibus ebrii, quasi in tenebris versantes, magna cum turpitudine foede jacent, et nec sentiunt quidem satis, ubi sint. Ubi vero viderint aliquem virtute praeditum se redarguentem, vel etiam comparantem solum, tunc manifestius suam miseriam dignoscunt quasi fulgore immisso: sic et suam foeditatem emendant, et conscios erubescunt, licet ille quidem servus sit, et ipse liber; et ipse quidem rex, ille autem subditus. Sic Helia viso Achab confundebatur, quamvis ille nihil adhuc dixisset, solo tamen aspectu illius confusus, et silente accusatore, condemnantem se tulit sententiam, loquens sicut hi qui capti sunt, ac dicens: Invenisti me inimice meus, (seu ut nos legimus, inimicum tibi.) » III. Reg. XXI. Haec Chrys.

subditque aliud exemplum Herodis, qui in Joannis voce et castitate suam intuens foeditatem et obscenitatem, ferre illum non potuit, sed lucernam illam extinguere conatus est lucifugus, ponendo eum in tenebras carceris. Unde addit: « Furi lux inimica est, molestus est justus peccantibus, etiam solum apparens: gravis etiam si vel spectetur, non enim ferunt illius radios, sicut nec solis jubar qui oculorum morbo tenentur. » Sic elephas bibiturus turbat aquam limpidam, ne videat in eam gibbum suum: sic mulier deformis horret speculum: sic lucifuga animalia oderunt lucem. Hinc qui male agunt quarunt tenebras: quia scilicet peccatum omne ex sua natura foedum et abominabile est: hinc hypocrysi velatur et palliatur: hinc postquam admissum est, tanto studio occultatur, negatur, in confessione taceatur, aut saltem cum pudore revelatur.

II. Ex gravissima Dei offensa et contemptu tanti benefactoris. Omne quidem vitium in se foedum est, foedissima autem praeter omnibus vitiiis ingratitude, utpote quam ipsae quoque bestiae pleraeque saltem ignorant. Hinc ingratos Deo Hebraeos arguit Isaia ex brutis: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui: Israel autem me non cognovit*. Isai. I. Jam vero primo fecit Deus hominem ad imaginem suam, ut ipse ad prototypum se reflecteret, et Deum velut filios patremre damaret. Deinde iterum genuit et reformavit eum per baptismum et gratiam suam, ut ita bis genitus fortius patrem amaret. Unde Deut. XXXII. dicitur: *Numquid non ipse est pater tuus?* At quid agit peccator? A patre se avertit, et ad hostem ejus profugiens, contra patrem arma sumit. Quam foedum et abominabile facinus admisit Absalon, cum optimo patri suo rebellis factus, coronae ejus insidiatus est, arreptis armis! Certe ipsae creaturae ratione carentes scelus illud ultae sunt. Mulus enim rapuit subter quercum: quercus suis ramis velut manibus corripuit ac tenuit, donec lanceis confoderetur. Hebraei cumulum lapidum super ejus cadaver congesserunt, ne in lucem amplius veniret, hodieque Turca, cum illic transeunt, lapides eo mittunt, dicentes: *Maledictus sit parricida Absalon, et quicumque parentes suos injuste persequuntur, maledicti sint in aeternum*: apud Sanctium, lib. II. Reg. c. XVIII. Hinc tametsi pessima maledictione (ut ait David. III. Reg. II.) maledicebat semen Davidi subditus regi suo, quando eum exultantem appellavit *virum sanguinum, virum Belial*, et regni invasorem, insuper et lapides mittebat contra eum. Hanc tamen tantam licet injuriam parvi aestimavit, imo vix sensit David, dum in mentem ei venit, quod Absalon filius ejus pro

prius tam dilectus arma contra patrem gereret : *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam : quanto magis nunc filius hominis?* II. Reg. XVI. quasi diceret, parum est, quod hic agit contra me, si cum filii mei rebellionem comparetur. Vide jam peccator, quid egeris dum *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Non adeo dolet Deo, si offendatur a barbaris, Turcis, Judæis, quia nunquam ejus filii per baptismi gratiam facti sunt, adeoque servi tantum et mancipia sunt. At vero si offendatur a Christiano, qui filius ejus dilectus, et quasi alter Absalon blandissime habitus fuit: id vero unice dolet. Absalon egressus est de utero patris, Christianus de latere et sanguine Christi in baptismo. Absalon quæsit animam patris, h. e. vitam et ruinam imperii, peccator quærit ruinam Dei, quantum in ipso est.

Secundo, tot beneficiis hominem ornavit, adeoque oneravit, ut eum sibi addictum et devotum redderet, et insuper amicitiam suam obtulit; et tamen ingratus homo peccando Deum a se repellit, respuit ac fugit; imo quantum in ipso est, persequitur ac perdit, regnumque ejus invadit. Mirum hujus rei speciem edidit ingratus quidam alumnus, quem adhuc puerulum ab omnibus destitutum, forte invenit Ansigisus dux, gener Pipini, conjux B. Begghæ, et sacro fonte susceptum aluit, adoptavit insuper in filium atque hæredem, mireque exaltavit. Ingratus autem hic cuculus dominum suum, a quo de stercore erectus fuit, (in venatione crudeliter occidit, propter appetitum honorem, quem tamen impius consecutus non est: ut scribit Steph. abbas Leodiens. in vita S. Modaldi, apud Sur. XII. Maii. Quid similis reperiri potest peccatoris ingratitudini? Destitutus ipse bonis omnibus, expulsus e paradiso, et expositus omnibus miseris, a misericorde Deo inventus susceptusque in filium baptismo ablutus, omnibusque gratiis præventus, adjutus et promotus est, ita ut hæres aliquando regni ejus fieret. Sed quid agit peccatoris nequitia? Patrem suum amatissimum variis peccatorum armis crudeliter invadit, et exturbare nititur, dum ei quasi renuntians alium sibi deum constituit, creaturam scilicet vilem, tametsi filium suum nullatenus assequitur. Quis non excandescat in tam ingratum animal?

Tertio, creaturas omnes quæ sub cælo sunt, hominis causa fecit, eique subiecit, ut ipse homo serviret, velut ephebus nob. in ipsius aula: et quid agit peccator? Creatore ac domino suo spreto, adhæret creaturis servis suis, totumque amorem suum, quem domino suo debet, impendit suis mancipiis. Quod æque fœdum ac stul-

tum est, ac præmissis sibi a rege ministros omni honoris et obsequiorum studio colere ac venerari, ipsum vero regem subsequentem nec respicere, nec curare. Adhæret enim peccator et intentissimo amore affigit se creaturis, omnia sua studia et cogitationes in eas dirigendo velut in Deum suum non secus ac gentiles, qui adorant idola sua, bestias et dæmonem: aut Judæi, quando pro Deo suo adorant vitulum. Exod. XXXII. dicentes: *Hi sunt dii tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Forte quia boves traxerunt eorum currus, et impedimenta, idcirco eos constituerunt sibi in deos. Quod profecto indignissimum est: abuti nimirum creaturis, in obsequium sibi a creatore concessis, ad injuriam creatoris armis, pecunia, comeatu, militibus a rege sibi concreditis pugnare contra regem suum. Magnum Dei beneficium fuit serpens æneus, Hebræis a Deo datus, ut ejus aspectu sanarentur a morsibus ignitorum serpentum in deserto. At vero ipsi quid tandem fecerunt? Qui posterius audierant aspectu ejus sanatos homines, cœperunt non Deum, a quo serpenti ea vis data fuit, sed ipsum æneum et inanimum serpentem pro Deo colere, eique velut Deo incensum adolere. Quæ res fœdissima simul et indignissima movit Ezechiam regem, ut serpentem illum confringeret ita ut in æs conflatus nihil de priori forma retineret. IV. Reg. XVII. Idem quod Hebræi illi, agit peccator: Deus illi suas creaturas dedit in obsequium: alias ut eum alant, alias ut vestiant, alias ut infirmum sanent, alias ut mœstum recreent, alias ut rudem doceant. At peccator amorem suum quem creatori suo et datori honorum omnium debet, impertit creaturis illis. Hinc jure meritissimo indignatur Deus non solum peccatori sed etiam ipsis creaturis, quas idcirco in fine mundi omnes confringet et destruet igne conflagrationis atque in cinerem rediget, velut si vir legitimus pessumdet adulteros, quibus adhæsit uxor ejus. Peccatum ergo lutum non est? Abominabile non est, cum ipsius odio Deus vastaturus sit totam hanc mundi machinam, tam pulchram, tam speciosam? Adeoque mactaturus etiam creaturas, quæ omni culpa carent.

III. Ex vilissima hominis conditione, qui se Deo opponere non veretur, et infinitam ejus majestatem, cum ipse sit fœdissimum lutum, spernere et repudiare. Scimus ex lib. Esther, c. III. quam indigne acceperit Aman, primus in Assueri aula princeps, sibi genu aflexa non esse a Mardocheo, excubitore Judæo; adeo ut propter illum unius hominis contemptum, (sicut ipse interpretabatur,) decreverit omne genus Hebræorum delere, ipsumque Mardocheum in altissima cruce suspendere. Petiit superbissimus homo honorem sibi non debitum nempe

divinum, aut certe regium, si politicam solum adorationem petiit. At Deo debetur honor divinus, adeoque tantus, quantus excogitari potest. Non erit igitur maxima Deo injuria maximusque contemptus, servum ejus vilissimum, qui ad ostium ejus excubat, extremo loco positus, qualis est homo, legi et voluntati ejus contraire? Debitam ei venerationem et subjectionem negare velle sui, non Dei juris esse? Certe hoc valde exaggerat Eliphaz, amicus Job, cap. XV. cum de peccatore ait: *Tendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo* (instar tauri ferocis et liberi) *et pingui cervice armatus est, hoc est arnina, quæ contemnit verbera et vulnera.* Hujusmodi taurus erat Nabal ille, secundum nomen suum stultus, fastu inflatus, qui rogatus a Davide humanissime, ut sibi et militibus suis aliquid de annona daret, pro accepto custoditorum gregum beneficio, superbe eum adjectis probris repulit, nec vel minima re juvit. Cujus improbitate exacerbatus David statuit eum perdere cum omni domo sua. Verum prudentia uxoris ejus permotus mutavit sententiam, et pepercit. Mane ubi crapula edormita experrectus Nabal audiit ab uxore, quanto in periculo fuisset ipse et tota domus ejus, *emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis.* I. Reg. XXV. Agnovit enim quam potentem ducem offenderit, a quo mox deleri, et quidem ebrius, cum domo sua tota poterat: agnovit stultitiam suam vel ex nomine, qui tam potentem principem verbis contumeliosis provocat ad iracundiam; agnovit se non mortis tantum, sed inferni etiam portis proximum fuisse. Hinc ille ejus stupor et in lapidem metamorphosis. At jam vade mecum o peccator, et vide annon tu ipse quoque hunc ludum cum Deo ludas. Justissima petenti, tuaque omnia sibi servanda, temerarie te opponis; et cui? Deo potentissimo, qui animam et corpus tuum mittere in gehennam potest. Et quis tu? Nabal, stultus homo ab humo dictus, quid nisi terra? Et quis si Deus te in ipsa furiosa sceleris ebrietate, et flagrante delicto corripiat, atque in infernum deturbet? Quis hic præ stupore ac timore non lapidescat? Quantus enim est ille Deus, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit? Ipse etiam Saul rex, quando audivit a Davide se in manu ejus fuisse, adeoque occidi potuisse, parsum tamen sibi esse, elevata voce flevit (quod alioquin non solent reges) cogitans nimirum, in quam præsentis periculo non temporalis tantum mortis, sed æternæ etiam fuisset, I. Regum XXIV. Cogita hoc et tu.

IV. Ex incarnatione Filii Dei ejusque passione, qui postquam ea peracta est, gravius

longe fert peccata Christianorum, qui per eum redempti et abluti a peccatis, iterum iis se coinquant, adeoque omnem Christi laborem, sudorem et passionem irritam et inanem reddunt, quantum in ipsis est. Scimus Salomonem dixisse Eccl. II. *Detestatus sum omnem industriam meam, habiturus post me hæredem quem ignoro, sapiens an stultus futurus sit, h. e. sobriene ac prudenter, an prodige ac stulte bonis sibi a me paratis usurus sit. Et nactus est certe filium stultum simul et prodigum Roboamum, qui per suam stultitiam mox regnum dilaceravit, decem tribus a se alienando: et quinto ab obitu patris anno thesauros regis perdidit, tertio Regum versu XIV. Sed quærere licet ex Salomone, quomodo ipse sub sole studiosissime laboravit? Num aratro terram vertit? Num ligone subdit? Num flagello fruges triturravit? Num sudavit et alsit? Nihil horum. Sed jussit tantum fieri hortos, vineas, piscinas, palatia: census regis in thesaurum reponi. Et tamen ipse tanti suum aestimat laborem, quasi sole tostus plurima sudore et labore suo filio parasset. Quid jam dicit Dei Filius, qui nobis sua merita et salutaria sacramenta tot sudoribus acquisivit. Nonne ipse post continuas excursions et labores in docendis rudibus, post tantas oblocutiones et contumelias, sanguinem et sudores toties effudit usque ad ultimam guttam? Nonne sudorem atque vitam dedit? Quomodo igitur non debeat omnes labores suos, quos videt ab hæredibus suis sperni et conculcari? Isti enim ut Apostolus, Hebr. X, ait: *Filium Dei conculcant, et sanguinem ejus pollutum ducunt, h. e. quasi immundum et communem sanguinem hircorum effundunt atque irritum faciunt.* Salomon labores suos execratus est, quia ignoravit qualem hæredem habiturus esset. Quid si scivisset se stultum et stipatorem habiturum, sicut postea habuit? At Christus scit et videt in dies se habere tales hæredes, stultos et ingratos, qui thesaurum meritorum ejus pedibus proculcent sanguinem, et sudorem ejus effundunt velut aquam. Et hoc ille quibus oculis aspiciet?*

Quare cum tam fœdum et detestabile lutum sit peccatum; *levamini, ait Isaias, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Isa. I. His verbis motus peccator quidam, qui velut Æthiops templum ingressus fuerat, compunctus, nive candidior egressus esse visus est a Paulo Simpliçi, S. Antonii discipulo (In vitis PP. refert Ruffinus). Utinam ergo et faxit Deus ut omnes illi, qui nigri ingrediuntur modo templum, post festa natalitia albi et mundi egrediantur, utinam vestes suas oculos sibi detrahant, et Christi pedibus substernant, ne peccati lutum in ipsis intueri adeoque lutosa

via incedere cogatur, quando in S. Eucharistia, quasi in nova nativitate ad eos venturus est! Satis nobis sit, semel Filium Dei, nostri amore in stabulo natum esse, inter pecora jacuisse, in foetoribus fuisse. Non intrudamus eum iterum in catabulum, ne justissimo Dei iudicio detrudamur in infernum.

### CONCIO V.

POENITENTIA FORTITER AGENDA PRO FESTO NATALITIO.  
Tres viri fortes aquam salutis e cisterna Bethlehem ferentes, sunt tres poenitentiae partes fortiter pugnantes. — I. Conditio armanda gladio. — II. Confessio armanda ariete. — III. Satisfactio ligone armanda.

#### THEMA.

*Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, Luc. III.*

Magna aliquando siti aestuabat vir secundum cor Dei, David, cum a Philistaeis, hostibus suis obsessam cerneret patriam suam, Bethlehem; neque alius ei potus sapiebat, nisi potus aquae, ex patria cisterna, quae erat ad portam Bethlehem, II. Reg. XXIII. *O si quis mihi daret potum aquae, exclamat, de cisterna, quae est in Bethlehem ad portam!* Audierunt hoc tres viri fortes ex ejus militibus, et irruerunt per castra Philistaeorum ad cisternam illam, et tulerunt regi aquam; quam tamen oblatam noluit bibere, sed effusam libavit Domino. Querunt hic interpretes, cur ex cisterna Bethlehematica desideravit potum. Quidam respondent, quod sapidior esset aqua illa, ut saltem videretur esse Davidi, velut ex cisterna patria: alii optasse dicunt liberatam ab hostibus patriam suam, et sibi restitutam; verum S. Ambrosius in apologia David, cap. VII. altius ascendit ad sensum allegoricum dicens: *Quid si altius velis spectare et introspicere mysterium? Sitiebat David non aquam fluminis, sed potum gratiae spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi.* Ita Ambrosius, prorsus apposite. Etenim ad portam Bethlehemicam praesepe fuit Christi, quem desideravit David, velut aquam pluviae caelestis, quam sitiebant olim patres legis veteris, orantes: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justum, Isa. XLV.* Cisterna porro, quae hanc caelestem excepit pluviam, quae alia nisi mater Christi fuit, quaeque ad Bethlehemicam portam mundo aquam hanc proposuit, et primo quidem pastoribus, paulo post tribus regibus delibandam dedit? Existimo, auditores, vos omnes teneri eodem desiderio, quo tenebatur David, et desiderare toto pectore potum aquae ex cisterna illa, potum, inquam, gratiae spiritualis, corporis item et sanguinis Domini suscipiendi in natali Christi

die, praeforibus existente. Laudo desiderium, sed scire interim debetis, dulcissimam hanc aquam ab hostibus obsideri, et nobis denegari, si in peccatis existentes, Dei hostes fuerimus. Fortes ergo viri a nobis emittendi sunt, qui castra hostilia perrumpant, et potum nobis afferunt. Hi vero non sunt alii, nisi tres poenitentiae partes; contritio, confessio, et satisfactio, quae si fortes et strenuae fuerint, utique desideratam aquam non difficile nobis ferent, proinde eas nunc armemus et emittamus.

I. Conditio gladio accingenda, et armanda est ad scindendum cor, et peccata conterenda. Audiamus enim Joelem, c. II. clamantem: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Judaei ad detestandum scelus aliquod grave vestes scindebant, mera saepe caeremonia, sine cordis dolore; non ita nos Christiani corda nostra scindamus, detestando scelera nostra, et affligendo cor dolore, quod ea perpetravit; scindamus, inquam, gladio seriae contritionis. Porro gladius hic duplex est, dolor de admissis peccatis, eorumque detestatio, et propositum emendationis, ne in futurum admittantur. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiebat ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi unius cuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos, Cantic. III.* Singuli ergo gladium unum manu evaginatum tenebant, ad praesentem necessitatem: alterum super femur vaginam inclusum, ad futuram paratum. Prior est dolor de peccatis, eorumque detestatio, concisio et contritio: alter est propositum ad pugnandum in posterum contra occursa scelera. Prior adhibendus ad conterendam cordis duritiam, quod se Deo opposuerat; quo modo fulmen conterit ea solum, quae sibi resistunt dura: quae non cedunt, mollia: et quo modo Henricus auceps imp. Trojae, Italiae civitati in deditionem receptae imperavit, ut eam moenium partem, quae ipsius bellicis molibus objecta restiterat, ad terram usque demolirentur, ut scribit Glaber. Scimus quid mandarit Deus Hebraeis, quando vel unicus Achan praedam ex anathemate furatus contra Dei praeeptum, totum exercitum turbavit: *Non ero ultra vobiscum, inquit, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est, Jos. VII.* Lapidato itaque Achan et combusto cum suis, Deus Israeli reconciliatus est. Quamdiu vel unum grave peccatum intra te hospitatur, o homo! Deus ultra tecum non erit, donec conteras illud, et per contritionem igne amoris divini in te excitato id comburas. Nec difficile erit ignem illum excitare, si memineris quem et quantum Dominum, patrem et amatorem tuum, quantulus et quam vilis tu, quam temere et periculose, quam graviter et quam saepe rebel-

lione tua offenderis. Haec est illa Davidis meditatio, de qua Psal. XXXVIII. ait: *In meditatione mea exardescit ignis.* Quae verba ita exponit S. Ambrosius: *«Lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore suffunditur, si renovetur ei suorum recordatio delictorum.»* Magis exardescet hic ignis, si peccati enormitatem et foeditatem expenderit. Multa strage Josue debacchatus est in reges impios et barbaros, Deo vero refractarios et exosos (ut Jos. cap. X. et seq. videre est) *«Non crudelitatem docens, inquit Origenes, hom. XI. sed sacramenta designans;»* ut nimirum indicaret peccata sic tractanda esse, quo modo Josue quinque reges ejusmodi captos produci et prosterni jussit, imperans principibus exercitus: *Ponite pedes super colla regum justorum, Jos. X.* Olim tyranni cum exigerent a Christianis, ut Christum abnegarent, instabant ut crucem Christi, in sigillum negationis pedibus calcarent. Impie quidem illi et tyrannice; at pie et juste Deus exigit a peccatore, ut peccata detestetur et pedibus quasi calcet, quo suum ille odium et sentiat et ostendat.

Alter gladius adhibendus ad praecedenda in posterum peccata, per emendationis propositum, tum quidem adhuc in vagina conditus, sed data occasione evaginandus et vibrandus in hostes. Non satis est hostem ictu prosternere, nisi prostratum opprimamus et jugulemus, ne resumptis viribus surgat, iterumque nos invadat. Hinc David cum jactu lapidis frontem Goliatho fregisset, adeoque eum stravisset, non reliquit ei spatium, ut resurgeret, sed *Cucurrit et stetit super Philistaeum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua; et interfecit eum praeciditque caput ejus, I. Reg. XVII.* Frangit daemone caput qui funda doloris et detestationis cor suum percutit, prostratum vero in terra premit, qui firmiter constituit non relabi amplius: caput praecidit, qui etiam peccandi occasiones cavere proponit. Hunc gladium exeruit David, quando dixit: *Juravi et statui custodire iudicia justitiae tuae.* Qui non tollit caput Goliatho, frustra est, victor non evadit, sed succumbit: uti canonicus ille Parisiensis (apud Lucam Pinellum, lib. I. de alt. vit. cap. V.) gulae et deliciis, qui cum sacramentis salutaribus munitus obiisset, post mortem uni amicorum apparuit seque damnatum dixit. Miratus alter: *«Nova salutis, inquit, remedia ante mortem recepisti? Recepti, inquit, sed mero mortis metu, sine emendationis proposito: et si supervixissem iterum ad pristinas delicias reversus fuisset.»* O ignavum militem qui hostem quidem prostratum caput non truncavit, sed vita donavit!

II. Confessio ariete opus habet, quo oclusas hostium portas perfringat et aperiat. Porta haec abia sunt hominum, quae ocludere solet murum illud daemonicum, de quo Luc. XI. ne prodant in confessione peccata sua; daemon enim velut adulter in corde peccatoris latet, cum anima ejus colludens; ac proinde ne prodatur et ejiciatur, ostium oris obserat, quantis potest viribus. Unde Rupertus abbas in illa verba Gen. II. Absconderunt se in medio ligni, ait: *«Recte quisque in eo vitio dicitur absconditus, quo delectatus per confessionis januas nusquam egreditur, cubante cum illo, deceptore suo diabolo; de quo Job XL. Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.»* Sic ille. Ergo Christianus poenitens magnanimum se militem hic ostendere debet, ut ostium hoc perfringat. Typum hujus magnanimitatis praelusit strenuissimus ille dux, Judas Macchab. Macch. V. a v. XLVI. quando venit ad civitatem Ephron, munitam valde et media in via constitutam ideoque indeclinabilem. Ibi incluserunt se, qui erant in civitate et obstruxerunt portas lapidibus; nec transitum concedere Judae voluerunt, tametsi promittenti omnem indemnitate: *Nemo vobis nocebit, tantum pedibus transibimus.* Quare Judas applicuit viros virtutis, oppugnavit civitatem, adeoque expugnavit, et peremit omnem masculum et eradica vit eam, sicque transivit super cadavera occisorum. Judas confessionem, Ephron autem pulverem significat; hominem designans, qui pulvis est et in pulverem revertetur. Desiderat confessio, instigante syndaresi, transire per os hominis in confessione, absque omni documento; (quid enim obest homini peccatorum confessio, facta sacerdoti sub sigillo secreti?) At qui peccatorem destinet daemon adulter, transitum hunc negat, et occultat ostium peccatoris variis lapidibus, pudore confusionis, pudore poenitentiae, amore delectationis in peccato. Quid ergo hic agendum? Applicandi viri virtutis, sumendus est aries virilis, ac perrumpendum ostium. Perrumpendo enim nonte, sed daemonem, qui te seduxit, feris prodis hostem et expellis atque confundis, velut, incantorem et auctorem peccatorum tuorum, ut ostendit S. Ambrosius, epist. XIV. Ad haec peccator erubescet perpetuam vitam, (inquit B. Paganus Parænes, de poenit.) *praesente pudore mercari? Et offerenti manus Domino vulnera subducet, et habet aliquid, quod in illo erubescat qui Dominum laesit? etc.* Sanguis in purulento vulnera inclusus magis longe affligit, quam si rupto vulnere foras educatur. Eadem ratio est peccati: occultatum enim torquet, proditum vero relevat. Hinc exclamat David: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, q. d. medicus meus. Accedit S. Cyril.*